Theologia

Ord. Praed. Conv. Crac: Conclusiones theologicae iuxta mentem s. Thomae Aquinatis.

Crac. 1777.

CONCLUSIONES THEOLOGICÆ

Juxta Mentem

Sancti THOMÆ Aquinatis Angelici Præceptoris V. Ecclesiæ Doctoris

Quas

Infra Ejusdem Festivitatis Solemnem

Octavam.

Publice propugnandas exponit Studium Theologicum Generale in Conventu Cracoviensi Sanctissimæ Trinitatis Ordinis Prædicatorum.

Annô Æræ vulgaris 1777.

Mense Martio.

Typis Collegii Majoris Universitatis Cracoviensis.

S, Thomas post Apostolos & primos Sanctos Doctores, magis inter omnes alios sua Doctrina Ecclesiam illuminavit. Joannes XXII. serm: quem habuit in ipsius Canonizatione super illud Psal: 4. Scitote *quia Dominus Sanctum suum mirificavit.*

Scripsit S. Thomas tot & tanta tam profunda & alta, quod mirabile est, quod ad hoc potuit sufficere tempus vitæ suæ, unde videtur impossibile, nisi fuerit à Spiritu S. & de eodem dicamus quod scribitur Eccl: 12, Cum esset sapientissimus, docuit populum, quæsivit verba utilia, conscripsit sermones verissimos & veritate plenos. Et videtur quod Doctrina istius Sancti ostendatur esse vera supra omnes Doctrinas Doctorum modernorum. Clemens VI. Bulla Avenione edita 1342.

Doctrinæ (S, Thomæ) testis est ingens librorum numerus, quos ille brevissimo tempore, in omni fere disciplinarum genere, singulari ordine, ac mira perspicuitate, sine ullo prorsus errore, conscripsit. In quibus conscribendis interdum Sanctos Apostolos Petrum & Paulum colloquentes, locosq; illi quosdam Dei jussu enarrantes habuit. Quos deinde conscriptos expressa Christi Domini voce comprobatos audivit. Clemens VIII.

EX TRACTATU

De Natura Theologiæ locisque Theologicis.

I. SAcram Doctrinam seu Theologiam dari non dubitamus, quæ secundum substantiam spectata, toti Ecclesiæ est simpliciter necessaria, non tamen singulis hominibus. II. Ratione verò methodi qua in Scholis traditur, non est toti Ecclesiæ necessaria; utilissima tamen est fidei Mysteriis exponendis, ac contrariis Novatorum erroribus refellendis. III. Hujus Theologiæ objectum formale quod, esse Deum sub ratione Deitatis: formale autem quò esse Divinam revelationem virtualem & mediatam asserimus. IV. Ipsam autem Theologiam dicimus esse scientiam complectentem formaliter eminenter speculativum & practicum, magis tamen speculativum quam practicum. V. Theologo ita fore utilem ac necessariam judicamus Theologiam Scholasticam, ut non plene sufficiat positiva, sed utraque requiratur. VI. Usum igitur Theologiæ generaliter sumptæ prout importat cognitionem de Deo, rebusque Divinis, habitam per discursum ex articulis revelatis non modo antiquum, sed coævum esse in Ecclesia minimè dubitamus. VII. Doctrinam fidei Catholicæ illud omne & solum dicimus, quod est revelatum in Dei verbo. VIII. Quæ ut secernatur ab omni alia Doctrina, & ab omnibus de fide teneatur, requiritur, ut ab Ecclesia Catholica sit universis proposita, tanquam à Deo revelata, & ut fide Divina credenda. IX. Doctrinam verò purè Theologicam esse veritatem vel ex duabus à Deo revelatis, vel saltem ex una præmissa de fide per legitimam consequentiam & discursum deducta. X. Dogma Theologicum seu Catholicum communiter & latè sumptum triplex esse censetur. Nimirum, imperatum, liberum, & toleratum, ex his autem solum imperatum est fidei dogma.

I. SCripturam Sacram esse Dei Verbum scriptum, à Deo revelatum, per Ecclesiam manifestatum, Literisque exaratum affirmamus, II. Hanc quoque Scripturam seu revelationem Divinam existere in Pentateucho, tum ex miraculis, tum ex Propheriis in eo contentis demonstratur. III. Similiter ejusdem existentia in Novo Testamento ex certissimis JESU Christi miraculis & Prophetiis ostenditur. IV. Canonem verò ejusdem Sacræ Scripturæ constituunt libri 72. scilicet Veteris Testamenti 45. sequentes: Genesis, Exodus Leviticus, Numeri, Deutheronominium, Josue, Judices, 4. libri Regum, 2. Paralipomenon, 2. Esdræ, Tobias, Judith, Esther, Job, Psalterium, Proverbia, Ecclesiastes, Cantica; Sapientiæ, Ecclesiasticu:, 4. Prophætæ majòres; Baruch, 12. Prophetæ minores & 2. libri Machabæorum, Novi autem Testamenti 27. sequentes: 4. Evangelia, Actus Apostolorum, 14. Epistolæ Pauli, tres Joannis, duæ Petri, una Jacobi, una Judæ, & Apocalypsis Sancti Joannis. Ita enumerat Concilium. Trident:, Ses: 4, V. Ex his quatuordecim libris, de quibus olim erat controversia, à Canonicis eximere, nempe: Baruch, Tobiam, Judith, Sapientiam, Eccleasticum, duos Machabæorum libros, Epistolam ad Hæbreos, Epistolam Jacobi, Judæ, secundam Petri ac duas posteriores Joannis, librum Apocalypsis, erroneum est ac Hæreticum. VI. Judicium de Scripruris per ipsas Scripturas nullo pacto est idoneum. VII. Nec de illis privati Reipublicæ Christianæ Cives judicium ferre queunt. Nec ex variis modis extrinsecis, nec ex Arcano testimonio Spiritus privati, ac internis Criteriis discerni valent; sed Ecclesia legitimus earum est Judex. VIII. Probabilius videtur ad rationem Scripturæ Sacræ requiri, quod non solum sensus & sententiæ, sed etiam singula verba sint à Spiritu S. inspirata. IX. Illamque non esse ubique ex se adeò perspicuam

ſpicuam ut ſola ſufficiat ad omnia Religionis dogmata certò ſtabilienda, contra Proteſtantes defendimus. X. In fidei morumque quæſtionibus definiendis ſola vulgata editio ut authentica amplectatur neceſſe eſt, ita ut in definiendis controverſiis fidei & morum nunc temporis ad Hæbraica, Græcave exemplaria recurrere minimé congruat. XI. Scripturæ Sacræ ſenſum imprimis duplicem cenſemus: Literalem nempe & myſticum ſeu ſpiritualem; improprium & metaphoricum; Myſticum, in Allegoricum Tropologicum & Anagogicum dividendum ſuſcipimus. Literalem autem ſenſum ejuſdem loci multiplicem fore cum S. Thoma affirmamus. XII. Ex primo igitur ſenſu Scripturæ ſcilicet literali ſemper firmum erui argumentum; ex myſtico etiam & Metaphorico poſſe â Theologo quandoque firmum educi; nusquam tamen ex accommodaticio conjicimus, XIII. Verſionem quoque 70. Interpretum omnium librorum Veteris Teſtamenti ex Hæbraica in Græcam linguam factam Alexandriæ ſub Ptolomæo probabiliter tenemus. XIV. Admittendæ ſunt Divinæ & Apoſtolicæ Traditiones, tum ad verum & Orthodoxorum Scripturæ ſenſum intelligendum, tum propter quædam fidei morumque capita quæ in verbo Dei ſcripto non continentur.

De Eccleſia.

I. ECcleſiam Chriſti univerſalem dicimus cum communi, eſſe congregationem Fidelium in vero Dei cultu adunatorum ſub uno capite Chriſto in Cœlis, & ſub ejus in terris Vicario SS. Pontifice. II. Illiusque membra non ſolos duntaxat juſtos & prædeſtinatos, verum etiam peccatores ſive occultos, ſive manifeſtos fore aſſerimus. III. Catechumenos vero non actu, niſi impropriè: Hæreticos autem Schiſmaticos, Infideles ac Excommunicatos haud membrorum Eccleſiæ nomine gaudere contendimus. IV. Hancque Eccleſiam ſemper fuiſſe viſibilem,

bilem, nec usquam defecisse, aut defecturam. V. Cujus auctoritatem judicium ferendi de sensu librorum, seu factis dogmaticis, utpote, eidem à Christo collatam infallibilem esse credimus. VI. Proinde Dogmata ab ea definita, quæcumque illa sint, nemini rejicere citra salutis dispendium, fas esse tuemur. VII. Notas seu Characteres veræ Ecclesiæ cum Concilo Nicæuo 4. Ses. nimirum, quod sit Una, Sancta, Catholica. & Apostolica firmiter sustinemus. VIII. Unde veram Christi Ecclesiam ita esse Unam profitemur, ut prorsus excludat quascunque societates, quarum fides diversa est & erronea in Articulis etiam non fundamentalibus. IX, Esse etiam Sanctam, sanctitate nempe doctrinæ & morum. Esse Catholicam, seu universalem, idest, per totum orbem diffusam ex promissione Christ. Esse Apostolicam, hoc est, a Christo fundatam, ab Apostolis autem propagatam. X. Has autem notas soli Ecclesiæ Romanæ, nullatenus Sectis Hæreticorum convenire affirmamus.

De Conciliis.

I. Jus convocandî Concilium Generale soli competere Romano Pontifici quod tamen aliis delegare potest. II. Similiter ad eundem spectare vel per se, vel per suos Legatos Concilio præsidere, & illud instar Supremi Judicis moderari, est nobis in confesso. III, Ejusmodi autem Concilia Generalia ritè celebrata in fidei morumque Dogmatibus inerrantiæ privilegio gaudere, non minus, ac gaudet Ecclesia quam represêntant sustinemus. IV. Quæ non semper supponuntur fore necessaria, præsertim cum tanta quandoque sit erroris absurditas, ut non nisi paucos & obscuros Sectatores inveniat. V. Conciliis quoque particularibus a Summo Pontifice approbatis eandem inerrantiam quam Generalibus pariter approbatis tribuimus.

De

De Summo Pontifice.

I. Sanctus Petrus fuit à Christo Apostolorum Princeps constitutus, quamobrum jure Divino Primatu jurisdictionis in tota Ecclesia potitus est. II. Qui Episcopatum in Romana Ecclesia usque ad mortem gessit. III. Quare Romanus Pontifex legitime succedens jure Divino Primatum in universa obtinet Ecclesia, cæterorumque Episcoporum Princeps est & caput, non honoris dumtaxat prærogativa, verum & jurisdictionis potestate. IV. Ejusve judicium in rebus fidei & morum loquentis ex Cathedra esse infallibile independenter à Consensu Ecclesiæ apud Catholicos indstbitatum est.

De SS. Patrum Auctoritate.

I. Sanctorum Patrum Auctoritas, sive paucorum, sive plurium, cum ad eas facultates affertur, quæ naturali lumine continentur, certa argumenta non suppeditat, sed tantum pollet, quantum ratio naturæ consentanea; persvaserit. Unius autem aut duorum auctoritas, etiam in his quæ ad Sacras literas & Doctrinam fidei pertinent, probabile quidem argumentum subministrare potest, firmum verò non potest. II. Plurium etiam Sanctorum Authoritas, reliquis & si paucioribus reclamantibus, firma argumenta Theologo sufficere & præstare non valet. III. Omnium quoque Patrum Auctoritas in eo genere quæstionum, quas ad fidem diximus minimè pertinere, fidem quidem probabilem facit, certam tamen non facit. IV. In expositione tamen sacrarum literarum communis omnium Sanctorum veterum intelligeutía certissimum argumentum Theologo præstat ad Theologicas assertiones corroborandas, quippe cum Sanctorum omnium sensus, Spiritus S. sensus ipse sit.

De Auctoritate Theologorum Scholasticorum.

I. Theologorum Scholasticorum etiam multorum testimonium, si alii Viri docti contrarium asserunt; neque Ecclesia quidquam statuit, non plus valet ad faciendam fidem, quam vel ratio ipsorum vel gravior Auctoritas comprobârit, Ex omnium verò Scholasticorum sententia, in re quidem gravi, usque adeò probabilia sumuntur argumenta, ut eis refragari temerarium sit. Concors omnium Theologorum Scholasticorum toto Orbe diffusorum sententia in re fidei, aut morum ita firmum præbet argumentum, ut ei contradicere hæreticum sit, aut saltem hæresi proximum. II. Hi autem Theologi minimè Doctores Ecclesiæ sunt appellandi, nisi largo quodam sensu. Auctoritas Theologorum in rebus ad fidem pertinentibus perferenda est Auctoritati juris Pontificii Peritorum, seu Canonistarum. Si vero præfatæ Auctoritates pertineant solum ad Ecclesiastica Decreta respicientes Disciplinam ac mores quæ propriè dicuntur, & sunt leges humanæ, certam quidem facere possunt probationem Theologicam, non tamen certitudinem fidei. III. Tres item aliæ Auctoritates nimirum ipsius Gratiani, Compilatoris, Paleæ & juris Civilis, non possunt facere ex se certam probationem ad alicujus controversiæ Theologicæ decisionem. IV. Idem proporcionaliter sentiendum de volumine Decreti Juris magnæ esse auctoritatis in rebus præsertim moralibus, si rectè & cum suis limitationibus intelligantur. Decreta quoque Congretionum in materia fidei & morum, ex se, & ut à Congregatione ipsa prodeunt, multi quidem sunt facienda, sed non præbent Theologo firmum, idest infallibile argumentum.

De Auctoritate rationis naturalis,

I. Generalia & communia principia rationis naturalis, qualia sunt: *quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Bonum est faciendum, malum fugiendum &c.* Certum præbent

bent Theologo argumentum. II. Conclusiones verò quæ alia via quam per demonstrationem ex illis inferuntur; lineam non excedunt probabilitatis.

De Auctoritate Humanæ Historiæ.

I. Nullus Hæreticus præter Auctores sacros, idoneus est per se ad faciendam certam in Theologicis fidem. II. Historici tamen graves & fide digni, quales nonnulli sine dubio & in Ecclesiasticis & in Sæcularibus fuere, probabile argumentum suppeditant Theologo. III. Si verò omnes probati, & graves Historici in eandem rem gestam concurrant, tunc ex horum authoritate certum ducitur argumentum, ut Theologica Dogmata firma ratione constituantur.

EX TRACTATU

De Deo uno ejusque attributis,

I. Hanc proportionem *DEUS est* dicimus esse notam quo ad se, non quo ad nos; Consequenter non esse nobis innatam Dei notionem. II. Deum sustinemus posse demonstrari à posteriori, seu ab effectibus. III. Unde hominem rationis compotem neque brevi temporis spatio posse verum Deum ignorare asserimus. IV. Ex rerum namque omnium, quæ in hoc mundo sunt, contingentia, evincitur existere aliquam earundem causam necessariam & infinitam, quam Deum nominamus. V. Eadem existentia probatur etiam ex motu in materia continuato. VI. Demonstratur quoque ex mirabili hujus mundi structura. VII. Deum tandem existere unanimi omnium hominum consensione corroboratur. VIII. Existere autem eundem ita necessario unum asserimus, ut sit omninò impossibile esse plures Deos. IX. Absurdissimè censemus, errare Spinozam statuentem; Deum unicam esse in tota rerum universitate substantiam, cujus entia omia modificationes sint & attributa. X. Proindè Deum esse omninò corporis expertem dicimus. XI. Eumque

que esse incorporeum Fidei dogma fatemur. XII. Melito Sardensis numero Anthropomorphitarum difficulter. = Nullatenus verò Tertulianus eximitur = Sanctus autem Epiphanius nullo modo eidem adjungendus. XIII. Aliqua admittenda est distinctio *cogitationis* inter essentiam Dei ejusque attributa. XIV. Non tamen distinctio realis Gilbertina. XV. Neque distinctio actualis formalis ex natura rei Scotistica. XVI. Deum esse immensum, seu omnibus locis, rebusque omnibus spiritualibus & corporeis suâ substantiâ intimè præsentem asserimus. XVII. Quæ existentia Dei secundum substantiam in omnibus rebus efficaciter ex ejus operatione in illis probatur. XVIII. Hæc autem operatio Dei virtualiter transiens, est ratio formalis, per quam existit intimè in rebus.

De visione intuitiva Dei.

I. Naturali intelligentiæ vi Deus nec videtur; nec videri potest intuitivè. II. Probabile satis fore aliquos in præsenti vitæ statu Deum ex singulari privilegio clarè vidisse, ut Moysen & Paulum defendimus. III Beatos in Patria dicimus videre intuitivè Dei essentiam. IV. Visionis verò hujus principium, nec solum esse intellectum, neque solum lumen gloriæ, sed utrùmque ad illam concurrere ut duas causas totales, sub diversa tamen ratione; lumen enim gloriæ ut totalem rationem formalem proximam, qua intellectus elevatur & proportionatur visionis actui: intellectum ut totale principium elicìens visionem defendimus. V. Beatos non æqualiter Deum intueri, sed alios aliis perfectiùs & clariùs pro diversitate meritorum sustinemus. VI. Deum à Beatis oculis corporeis non posse videri comprobamus. VII. Neque Sanctum Augustinum id docuisse concedimus.

De scientia Dei.

I. Deum habere scientiam propriè talem tum respectu omnium creaturarum tam præsentium, quàm futurarum,

rarum, imò & possibilium; tum etiam suorum attributorum non dubitamus. II. Respectu verò sui habere perfectissimam comprehensionem credimus. III. Futura quoque contingentia & libera certò à Deo cognoscuntur; neque tamen ejus præscientia rerum contingentiam, aut humanam tollit libertatem. IV. Hæcque scientia Dei non distinguitur in scientiam visionis & simplicis intelligentiæ tanquam in duo attributa virtualiter distincta, sed solum distinguuntur ex parte scitorum & non ex parte scientis. V. Scientia media sumpta in ordine supernaturali videtur Sacris Literis contraria. VI. Eidem adversatur Sanctus Augustinus. VII. Nec eidem S. Thomas favet, VIII. Ipsa quoque ratio illi contrariatur.

De voluntate Dei.

I. Deus non vult quantum in se est æqualiter omnium hominum salutem sub hac solùm conditione, *si ipsi velint*, ita ut tota differentia in negotio nostræ salutis sit ab hominum & non a Dei voluntate repetenda. II. Admittenda tamen est in aliquo sensu antecedens & generalis voluntas Dei salvandi omnes homines, III. Et hâc etiam post Adæ lapsum vult Deus, non quidem otiosa, sed activa omnes omninò homines salvos fieri. IV. Imò hanc voluntætem antecedentem & generalem de salute omnium dicimus non esse metaphoricam, seu meram voluntatem signi; sed esse sinceram voluntatem bene placiti propriè & formaliter in Deo existentem. V, Unde Christus mortuus est pro omnibus omninò hominibus, ut vera & sincera voluntate mortem oppetierit, eamque Patri obtulerit pro omnium redemptione & salute æterna, antecedenter quidem & sufficienter pro reprobis, consequenter & efficaciter pro præaestinatis. VI. Qua propter Deus vi voluntatis quam habet salvandi omnes per Christum & proprer Christum præparat in communi omnibus auxilia generalia sufficientia ad salutem. VII.

Constat autem Jansenium revera docuisse, Christum fuisse mortuum pro salute æterna prædestinatorum dumtaxat, & non pro salute æterna reproborum. VIII. Gotteschalcum etiam probabilius est errores sibi imputatos revera docuisse. IX. Datur in Deo summa arbitrii libertas. X. Decreta verò ejus prædeterminantia & ex se efficacia, ad sensum Thomistarum, humanam non tollunt libertatem.

De Providentia, Prædestinatione & Reprobatione

I. Ita perfectissimam Dei Providentiam dari profitemur, ut respectu Dei nihil fortuito evenire possit. II. Eiq; omnia etiam minima & vilissima subjiciuntur. III. Prædestinationem dicimus cum S. Thoma esse rationem ordinis aliquorum in salutem æternam in mente Divina existentem. IV. Porro Prædestinationem ita esse ad salutem necessariam dicimus, ut nemo eam obtineat, qui non fuerit prædestinatus. V. Quæ Prædestinatio, seu electio hominum lapsorum ad gloriam omnibus gratuita est nec meritorum prævisionem subsequitur. VI. Hancque dicimus certam & infallibilem quò ad consecutionem effectus. VII. Esseve certam non solùm certitudine præscientiæ, sed etiam certitudine causalisatis. VIII. Neq; tamen hæc quantacunque certitudo nocet libertati: Quia voluntas Dei prædestinativa non est tantùm de substantia effectûs prædestinationis, sed etiam de modo. IX. Numerus Prædestinatorum est certus, id est, non solùm scit ac prædestinavit quot sunt salvandi, sed etiam qui sint salvandi. X. Nemo interim absque speciali revelatione potest esse physicè certus de sua prædestinatione. XI. Potest attamen habere quandam certitudinem conjecturalem seu ad summum moralem suæ prædestinationis ex variis signis, quæ nobis exhibent Scripturæ & Patres. XII. Effectus itaque Prædestinationis sunt vocatio efficax, justificatio non interrupta glorificatio, bonus usus gratiæ

& omnia

& omnia merita inde procedentia. Similiter etiam vocatio inefficax & justificatio interrupta. XIII. Deus absoluto Decreto homines ad interitum non prædestinavit ante prævisionem peccatorum. XIV. Probabilius est Lucidum V. Sæculo fuisse Prædestinatianum, & fortè quosdam alios, sed paucos admodum & obscuri nominis, ita ut sectam non coaluerint.

EX TRACTATU

De Ultimo fine, Beatitudine & humanis actibus.

I, Quum proprium creaturæ rationalis sit, ut propter finem operetur; proprium quoque homini sit, oportet, ut cùm quædam deliberatè vult, ea propter finem, eumque ultimum, aliquô modô velit. II. Quantacunque bonum creatum perfectione pollere videatur, nequiquam tamen in eo reponi potest vera hominis Beatitudo objectiva, quæ in solo, eoque summo bono, Deo nimirum, sita est. III. Hujus autem summi boni possessio, quæ formalis Beatitudo appellatur, in visione seu contemplatione Dei consistit. IV. A qua Justorum animæ, semel ac ad perpetuitatem illam felicem admittuntur, nunquam excidere queunt. V. Hæc porro cumulata felicitas, clara uempe Dei visio, non ad diem postremum judicii, sed ne quidem ad minimum tempus differtur animabus, quibus post hanc vitam, nec pro levioribus noxis superest luendum. VI. Nunquam Ecclesia, nec tribus prioribus sæculis, perpetuâ & constanti traditione tenuit differendam esse usque ad diem judicii visionem Beatificam animabus plenè purgatis. VII. Neque Sancti Ambrosius & Bernardus à Catholico hac in re dogmate unquam recedere visi sunt. VIII. Et quamvis Augustinus fluctuet circa secreta animarum receptacula, de earum tamen felicitate & gloria non dubitat, IX. Joannes quoque XXII. qui sæculo XIV. Petri Claves tenuit, nunquam docuit assertivè justorùm animas Deum non visu-

ras

ras ante generale Dei Judicium. X. Firmissimè tenendum est futuram aliquando universalem corporum resurrectionem. XI. Post hanc autem excogitatum illud à Cerintho millenarium Christi Regnum temporale, atque à Papia dein, etsi tolerabilius inductum, figmentum prorsus est, & anilis fabula. XII. Cùm violentia propriè ac simpliciter talis involuntarium causet, atque à peccato excuset; proinde moraliter loquendo sive juxta consvetum hominum vivendi morem sub svavi Dei providentiâ rectum, nequit homo talem pati violentiam à dæmone, ut adhuc vigil suique compos existens ad actus illicitos prorumpat contra ejus voluntatem. XIII. Siquidem ratio voluntarii simpliciter dicti, ab iis, quæ ex metu fiunt, non aufertur, tametsi secundum quid reputentur involuntaria; non est cur Loth metu à Sodomitis incusso suas filias eorum libidini offerentem à peccato omnino excusemus. XIV. Homo in statu naturæ lapsæ vera pollet indifferentiæ libertate. XV. Nec ad merendum & demerendum sufficit eidem, ut sit à coactione solùm liber, & non à necessitate. XVI. Jansenius revera docuit hanc propositionem: *ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ, non requiritur in homine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione.* XVII. Sacræ Scripturæ & Sancti Patres non obscurè innuunt actum posse esse culpabilem, quin actualis cognitio vel advertentia malitiei habeatur. XVIII. Non potest quis sine peccato sequi opinionem libertati faventem & minus probabilem in concursu alterius stantis pro præcepto & simul probabilioris. XIX. Quando verò în materia, morali, quæ subest periculo peccati mortalis, occurrunt duæ opiniones æquè probabiles, tutior est eligenda. XX. In harum opinionum delectu probabiliorem tutioremque tenendam esse vel ipse Summus Ecclesiæ Pastor Benedictus XIV. novissimè apertè decrevit. XXI. Et hanc regulam in Ecclesia viguisse semper; firmissimìs argumentìs ostendi

potest

poteſt. XXII. Quocirca Probabiliſtarum ſyſtema, quod in Eccleſiam recenter irrepſerit, & quòd eô ipsô, quo dominari videbatur ſæcu'ô, nunquam in Eccleſia obtinuerit inſignium Virorum teſtimonio poteſt luculenter evinci.

EX TRACTATU
De Incarnatione Verbi Divini.

I. Cùm Divina ordinatio poſtulet, ut mediantibus Angelis, ad homines Divina perveniant, conveniens fuit, ut Myſterium Divinæ Incarnationis, Matri Dei per Angelum annunciaretur. II. Unde convenienti ordine Angelus in Annunciatione primò; Beatam Virginem attentam reddidit, poſtea verò de Myſterio inſtruxit: ac poſtremo eam ad conſentiendum induxit. III. Chriſtus Dominus cum ſit panis vivus, & ex ſemine David ſecundum carnem factus. meritò in Bethleem (quæ domus panis interpretatur) in qua natus fuit David, naſci voluit. IV. Congruum fuit ùt Nativitas Chriſti Domini, omnium hominum Conditionibus manifeſtaretur; ſcilicet Magis, Simeoni,, Annæ ac Paſtoribus. V, Itaque ordine convenientiſſimo fuit manifeſtata Salvatoris noſtri Nativitas, ipſo die Nativitatis Paſtoribus, decimotertio verò die Magis: quadrageſimo Simeoni & Annæ, VI. Probabilius videtur, ſtellam, quæ Magis apparuit, fuiſſe de novo creatam. VII. Quam etiam credendum eſt, Magos à Spiritu S. inſpiratos, ad adorandum Chriſtum natum veniſſe. VIII. Nobis tamen probabilius videtur illos veniſſe ex Arabia felice. IX. Maximè conveniens fuit, ut Chriſtus per ſe ipſum doceret Judæos, & apud illos prædicaret, non obſtante offenſione Scribarum & Phariſæorum, X. Non decuit Chriſtum doctrinam ſuam ſcripto tradere, ſeu literis conſignare. XI Unde Epiſtolam Abgari Regis Edeſſenorum ad Chriſtum, & Epiſtolam Chriſti ad eundem Abgarum. pro Apocrypha & ſuppoſititia habemus. XI. Conveniens fuit ut Chriſtus ſua transfi-

guratione

guratione gloriam suæ & aliorum resurrectionis ostenderet. XIII. Congruum fuit, ut hi testes transfigurationis vocarentur, quos Evangelica prodit Historia: ac præcedentibus Moysis & Elias: de sequentibus Petrus, Jacobus & Joannes, ut omnes se esse per gloriam suam glorificaturum ostenderet. XIV. Ut ad docendum, ac prædicandum idoneus Christus haberetur, & baptismum Viros perfectos parere ostenderet; conveniebat ut trigesimo ætatis suæ anno baptizaretur. XV. Quemadmodum Dei Filius corpus accepit, ita etiam Spiritus S. veram columbam formavit, in qua appareret; licet in unitatem personæ ipsam non assumeret. XVI. Christus post susceptum baptisma conversatus est cum hominibus, vitam non austeram, sed communem; pauperem tamen duxit. XVII. Hinc eruimus Christum Dominum propter gravitatem & modestiam usum fuisse oblongis vestibus, & incessisse tàm ipsum, quàm Apostolos calceatos. XVIII. Licet probabile sit, quod Christus aliquando uteretur themate in suis concionibus, ut plurimum tamen thema non assumebat. Ita pro certo asserimus Christum multa energia, & multo fervore prædicasse. XIX. In nuptiis Canæ Galilææ quibus Christus adfuit probabiliter defendimus Sponsum illum fuisse S. Joannem Evangelistam. XX. Invictè propugnamus Sententiam nostri Angelici Præceptoris docentis: mortuos iterum fuisse illos Sanctos, qui tempore mortis Christi surrexerunt. XXI. Christus Dominus post resurrectionem suam Discipulis suis aparuit nudus. Quanquam non negamus quod aliquando habuerit & vestimenta. XXII. Christus verè comedit post resurrectionem, esto ille cibus non convertebatur in substantiam corporis ejus. XXIII. Christus Dominus post suam Ascensionem in Cælo stat & non sedet. XXIV. Christum Dominum in Cælo non habere vestes firmiter asserimus. XXV. Christus Dñus palma suorũ Sanctissimorũ pedũ, tangit supremam Cæli Empyrei superficiem convexam.

Ad Majorem DEI Gloriam B. V. M. Honorem, OO. SS, præcipuè Sancti Nostri Præceptoris Angelici, Cultum ac Venerationem.